

D.P. 30. Oct. 18, 30.

36 X 1374150

Vf  
192

DISPUTATIONEM HISTORICO-PHYS  
*DE*  
**LOCUSTIS,**  
*Non*  
**SINE PRODIGIO**  
*in Germania*

nuper conspectis,

Dei auxilio & Superiorum indultu favente  
d. 28. Sept. M. DC. XCIII.

publicē habebunt

*PRÆSES*

**M. LUDOVIC. CHRISTIAN.  
CRELLIUS,**  
Neostad. ad Erycas Franc.

*Et Respondens*

**JOHANNES FRIDERICUS ~~Hauptvogel~~  
Luccâ-Lusatus SS. Theol. Stud.**

---

*LIPSIAE,  
Literis COLERIANIS.*

1339



МАСИЛЛОГИИ МИССАТИИ

ДО

СИГРУЮЩИ

ОВІДІОДІЯЧ НАІС

БІБЛІОТЕКА ГР

ІМПЕРІАЛЬСЬКИХ

ІМПЕРІАЛЬСЬКИХ БІБЛІОТЕК  
ІМПЕРІАЛЬСЬКИХ БІБЛІОТЕК  
ІМПЕРІАЛЬСЬКИХ БІБЛІОТЕК



I. N. f.

## Brevis Conspectus Disputationis.

In Proœm. causa instituti cum Divisione Disputationis declaratur. CAP. I.  
§. 1. Historia locustarum in compendio exhibetur §. 2. Earum par-  
tes considerantur, speciatim caput. §. 3. Aliqua de corpore §. 4. co-  
lores §. 5. Alæ characteribus noratae §. 6. Hoc ulterius diducitur  
§. 7. Pedes §. 8. Antipathia. §. 9. multitudo §. 10. ordo §. 11. De-  
trimentum ab illis illatum §. 12. Tentatus usus. §. 13. Remedia ad-  
versus ea §. 14. Speciatim preces §. 15. Unde advenerint. §. 16.  
Quod amplius illustratur. §. 17. Cur ad nostras oras se contulerint.  
CAP. II. §. 1. An aliquid portendant? §. 2. Id ulterius probatur.  
§. 3. Quomodo hoc prodigium in vestigandum §. 4. Unde? An  
ex alis characteribus insignitis? §. 5. Quid in statu Ecclesiastico in-  
dicent. §. 6. Num bellorum sunt prodigia? §. 7. An annonæ cari-  
tatis. §. 8. An pestis? §. 9. Quid hoc tempore præcisè indigit? §.  
10. Id deducitur §. 11. cum votô concluditur.

## Proœmium.

 Um inter tot tantaque stupenda prodigia, quæ  
hinc inde multorum admirationem pariter ac  
metum hactenus provocarunt, non ultimô lo-  
cô ponendus sit innumerus locustarum gran-  
diorum numerus, quarum adventus horri-  
bilis & inopinatus paukas ante septimanas quibusdam Eu-  
ropæ provinciis non parum attulit detrimenti, & mala  
portendere videtur majora; Operæ pretium duximus  
Themati huic non adeo trito, nostrum pro ingenii viribus  
laborem impendere, & quid ad manus de iis venerit, pau-  
cis enumerare. Istud certè præfamur, nos in hac doctrinæ

A 2

parte

parte non alta petituros, sed humilia, captuiq; nostro æqua-  
lia, memores illius, quod Cl. Mapighius in Dissert. Epist. de  
Bombyce dicit: Quod cum in minimis existat natura, si ali-  
cubi, magis equidem, in insectorum moleculis id deprehen-  
datur. Hinc humana philosophandi ratio ob sui infirmita-  
tem serpere cogitur, nec tolli potest. In ipso igitur limine à  
B. L. contendimus, ut veniam nobis concedat, si eâ curâ atq;  
diligentiâ argumentum hoc non tractari videat, quemad-  
modum ab aliis in hoc scribendi genere magis exercitatis  
potuisset præstari. Nos ita hoc thema pertracta turi su-  
mus, ut 1. Historiam moderni locustarum adventus recen-  
seamus, 2. quid eæ portendere videantur, breviter explice-  
mus. Faxit DEUS feliciter!

## CAP. Histor.

§. I.

**S**ub finem mensis Augusti tanta locustarum multitudo ab Oriente  
in Hungariam, indeque alias in regiones delata est, ut instar nubis  
nigræ solis lucem, incolis sollicitè spectantibus adimeret. In ter-  
ram verò decidentes tantis invicem cùmulis occubuerunt, ut  
densitas earum pedis altitudinem, alibi que cubitus quadrantem,  
imò cubitum excederet. Coeterum rostra habebant nimis oblonga, qua-  
tuor alas, in quibus scissuræ Turcarum literis haud dissimiles quibusdam  
visæ. Variabant tum corporis quantitate, tum coloris qualitate. Abhinc  
paucos post dies ventò iterum sublatæ, Austria, Bohemiam, Silesiam,  
Superiorem, Variscum, Thuringiam, aliasque provincias permigrarunt,  
non solum campos sed ipsas etiam urbes sibi vendicantes, totas plateas  
& ædes obtexerunt. Omnia verò, in quæcunque inciderint, vel per-  
horæ spatiū devastarunt, dum grama, frumenta, olera, cordum, ali-  
asque fruges perdiderunt & depastæ sunt, quasi præternaturali & prorsus  
insatiabili fame laborantes. Quod vel exinde patet, dum ne arboribus  
quidem, quibusdam in locis pepercérunt, sed, occupatis earum ramis, fo-  
lia & frondes decerpserunt; Consumptò tandem unius loci pabulò, ali-  
um quæsiverunt, relinquendo fœtorem turpisimum.

Quam-

§. 2.

Quamvis igitur nostræ, de quibus hic sermo est, communibus locustis, formâ similes videantur, notabilia tamen, quibus ab aliis discrepant, in illis non pauca deprehenduntur. Caput equini capitis formam refert. Oculi, quos quendam locustis negasse narrat a) Aldrovandus sunt aperti & duriores. Rostra habent solitô longiora; inclusa est ori lingua, quæ si aciculâ quâdam extrahatur è fauibus, ad digitum longitudinem extendi se patitur. Quodsi fabulosa Arabum gens attenderet, haberet fortasse, cur locustis, uti eisdem faciem equi, collum tauri, cornua cervi, pectus leonis, ventrem scorpionis, alas aquilæ, femora camelii, pedes struthionis, caudam serpentis, & oculos elephantis tribuit; ita etiam hujus proboscidem ingeniosè scilicet adscribere queat. b) Quô ipsô, quod voracitatem testentur, inexplebilem, mirum non est, cùm ipsam naturam huic destinasse existimandum sit. Quorundam vero capitibus, præter duo cornua dicuntur varia & quidem summa eminere incrementa, non aliter, quâm quæ anno 1542. ex Sarmatia Turcica in Austriam, Siliam, Lusatiam, Misniam volarunt & in capitibus coronulas habuisse dicuntur. c) Sed ni fallor, hujus rei imaginatio à vulgo dependet, cui ansam dedisse videntur crista in verticibus foeminarum adornatae, ideoq; à prudentioribus id alienum. Verisimilius Jenæ à Viro docto atq; oculato teste describuntur, quod crusta capitis clypeum quendam potius & colla re monachorum referat.

§. 3.

Ast non capitis modò, sed totius etiam ventrî magnitudo singulâris habetur, quâ reliquias superant, pollicisq; tribuitur ipsis crassities. Cujus etiam generis grandiores solitô locustas pollicem viri æquantes primâ æstate A. 852. ab oriente externa pabula quæsitoras occiduum Solem versus volasse memorat Aldrovandus. d) Præterea tantæ sunt magnitudinis in India, ut in volando aves videantur. Quid? quod ibidem ternum pedum longitudinis esse traduntur, qui arefactis, cruribus & feminibus seruarum usum præbent, teste Plinio. e) Quanquam id in dubium adhuc vocari possit, ita, ut facile largiar, illas, quæ nostrum aërem jam permeant, ex grandiorum genere non esse, nostris tamen regionibus, quæ non nisi parvas aere consuescent, magnas easdem videri.

Colore

a) l. IV. de Insect. p. 163. b) Bochart. Hierzoic. part. II. l. IV. p. 475. c) Franz. Hist. An. part. V. c. 4. d) Lib. IV. Inf. p. 167. e) Nat. Hist. I. XI. c. 29.

§. 4.

Colore sunt variō, quædam virides, quædam flavæ, quædam canæ, quædam aliqua parte hunc, aliâ illum ostendunt colorem. Ex quo satis divina prælucet sapientia, dum, si vulgari hominum opinioni, quæ easdem exercitus militaris prodromos esse putatur, ad stipulandum, distinctis insectorum horum coloribus quasi distinctos militum vestitus voluit exhiberi. Verum, hasce vanas vulgi, miracula querentis, allusiones esse, quis non videt.

§. 5.

An plus fidei & admirationis huic attribuendum, quod in earum alis nigricantibus maculis variè notatis observatum esse, quidam ajunt, aliorum esto judicium. Quamvis enim non sex, ut locustæ anno 874. conspectæ, sed quatuor saltem alas membrana quadam duriusculâ obductas habuerint; Hisce tamen ad permeanda tot itinerum spatio sufficientibus, à Deo remigis instinctæ sunt. In quo tam diuturno volatu divinum quid esse existimat Aldrovandus. f) Variis etiam characteribus & scissuris velut Turcarum literis insignitæ dicuntur. Siquidem à Viro quoddam ingenioso & Orientalium linguarum callentissimo opere macroscopii annotatum esse perhibent, earum alis conspicienda se præbuisse idiomate quidem Armenicō hæc verba: 1. IMMANES. 2. NOVIPOPULI. 3. MORIEMINI ANNONA. 4. IRA DEI. Sed quia manuscriptum ipsum, quô hoc confirmatum sit, non vidimus, certi hæc nihil asseverare audemus. Alias aliis temporibus similem certè observationem institutam legimus, quando Mollerus g) tradit quondam in Anglia, innumeram locustarum copiam, omnes, in eunte messe, fruges consumpsisse, aliasque habuisse variis literis notatas, sic, ut uno latere J. R. A. alterâ parte. D. E. I. apparuerit. Ut taceam, quod Ibno Omar fabulatur, inter Mahomedis manus decidisse locustas hac inscriptione in aliis notatas: NOS SUMUS EXERCITUS DEL. Similiter quando idem, citante Bocharto g) refere, inter Mahomedis manus locustas obvenisse in quarum aliis scriptum fuerit: SUMUS EXERCITUS DEI MAGNI. Nobis sunt ova nonagesinta, & si centuria perficeretur, totum mundum absumeremus. Vel uti ibidem aliud assertur exemplum locustarum in mensam delapsarum, quarum aliis hæc inscripta fabulosè dicuntur: Ego sum DEUS, neque ullus est præter me locustarum Dominus, qui eas do, & cum libet, immitto, ut sint escas populis, sed & cum libet,

f) l. IV. p. 65. g) in Allegor. p. 1. §. 14. h) Hier. Part. II. l. IV. p. 405.

libet, immixto, ut iisdem plaga sint. Forsan inter impias Muhametanorum fraudes referenda sunt hujus generis figmenta, cum plerumque contineant communes loquendi formulas, vel Phrases etiam, ut facilior concilietur assensus, è sacro nostro Codice petitas.

§. 6.

Hinc autem concludere, quod nunquam certæ literæ locustarum alis imprimi queant, si Dei providentia istud postularet, non licet. Quodsi enim, ut Kircheri i.) verbis utar, eum, qui lapidosam telluris œconomiam ingressus altius est, summâ admiratione rapi oporteat, dum videt quanto ingenio & industria in variis lapidibus gemmisque natura luserit, cur non in ejusmodi insectorum alis, vel natura duce ejusmodi characteres exprimi possent, ex quibus ingeniosa eruditorum curiositas nescio quæ exculpere queat? Certè laudatus Kircherus citatō locō dicit, se Tolensem agrum lustrantem incidisse in collem quandam, ubi lapidum quoddam genus repertum sit coeruleum in quibus à natura candidis iisque subtilissimis lineis, quicquid figurarum excogitari potuerit, designatum fuit. Unde, consideratis singularum ductibus se non Græci tantum sed & Latini Alphabeti literas omnes invenisse. Si idem Autoz orientalibus etiam literis æquè delectatus fuerit, nec ibi forsitan defuisse materia animadvertisendi plures hujus generis curiositates, eadem operâ, quâ Cap. VIII. figuras lapidum, quæ exhibebant flores, herbas, astra, arbores, urbem turritam, varia animalia, insecta, pisces, imo homines, & Salvatoris ipsius crucifixi imaginem &c. ostendit. Nec in monstrorum corporibus certas literas à naturâ formatas in auditum. Unius jam mentionem faciemus: k) Annō 1511. natum Ravennæ monstrum dicitur, quod præter alia monstrosa in medio pectore litera Y & ✕ signâ notatum fuit.

§. 7.

Sed revertatur iam ad pedes locustarum, à quibus nos alarum consideratio, longius abduxit. Ex quidem sex habuerunt pedes, quorum bini posteriores reliquos magnitudine excedant & ad saltum faciunt; l) Qui sequuntur ab illorum magnitudine aliquid remittunt; bini verò priores omnium minimi sunt. Hic senarius pedum numerus quomodo cum Scriptura quatuor tantum pedes numerante concilietur, vide apud Bocharum. m)

Acce-

i) Mand. Subt. I. VIII. Sect. 1. c. 8. k) Wolff. lect. mem. Tom. II. p. 31. l) conf. Aldr. I. 4. de Inf. p. 163. m) part. II. l. 21. p. 452.

Accepimus etiam in Variscia, nonnullos singulis locustis peregrinis domesticas singulas admovisse, ibique nostrates peregrinas hostili morsu aggressas esse, ægrè quasi ferentes, se a peregrinis istis hospitibus è sedibus suis ejici. Sed, quia alii idem experimentum facturi, id non deprehenderunt, missum facimus, hoc saltem dicentes, talem locustarum antipathiam non solum adversus serpentes, scorpiones, vespas & crabrones sed etiam adversus se invicem referre Aldrovandum; n) Uade res in proverbium abiit, cum Antisthenes Atheniensis Atheniensibus, quod indigenæ essent gloriantibus, exprobrans diceret: Illos Attelabis & locustis nihil nobiliores esse.

Et profectò facillimè peregrinas terras occupare possunt quippe tantà copiâ totque stupendis agminibus etiam nostræ convolarunt, ut instar nubis densissimæ meridianam Solis lucem quodammodo obscurarent. Terræ incumbentes, dimidium milliaris spatium operuerunt, atque adeo se invicem cumularunt, ut densitas earum pedis altitudinem, equi ungulam & sœpè cubitus quadrantem excederet. Quare, cum arborum ramis adhærerent earum mole isti contracti dicuntur. Hujus multitudinis causam si quæris, hæc est, quia non solum tanta multitudine generantur, ut nullum animal ipsis sit fœcundius, quod etiam nomen illis in **ארבה** **Sacred** codice datum haud obscure indicat, sed quia etiam congregatim ad plura millia serie longâ convolantes tantum Stridorem edunt, ut stridulæ aquæ peraspera saxa ruentis strepitum crederes. Accedit, quod innumerabiles earum exercitus à Deo justissimo scelerum vindicemittantur ad de pascendos terræ fructus. Tam copiosum locustarum adventum in Poloniam memorat Surius o) ad annum 1544. dum intervolandum duo milliaria in longum & latum cubitotenus occuparent, & Solis etiam splendorem à toto illius terræ spatio excluderent. Et in regionibus Nigritarum tantâ frequentia congregantur, ut ad duodecim milliaria cœlum insimbrant. p) Proinde illustris q) Ludolf ex Alvarezio animadvertisit, earum multitudinem semper ut incredibilem, ineffabilem, atque innumerabilem describi.

n) de Ins. l. 4. p. 169. o) Surius Comment. rerum in orbe gestar. p) Aloysius Cadamustus c. 13. Navig. de desertis prope Nigritas. q) Comment. in Hist. Æthiop. ad lib. 1. c. 14. p. 179.

S. X.

Intervalandum etiam tantum observarunt ordinem, ut non modo unam rectamque itineris lineam tenuerint, sed etiam in castris faciendis tanquam exercitus militares in diversa agmina se diviserint. Certis prætete diebus, quibus requieverunt, nullo modo potuerunt propelli, sed volandi ac devastandi velut interstitia habuerunt. Quamvis enim nullò gaudeant rege: (nisi quod ex literis à Pastore quodam Hungarico ad filium Lipsiæ studentem datis, cognoverimus, locustas anno 1686. Hungariam devastantes ducem habuisse album columbae non absimilem. r) Tamen Aventinus & cum eo Cuspinianus de locustis Galliam anno 874. invadentibus scribit, eas duces cum paucis præmisisse, quasi loca opportuna castris electuros, eādam fere horā, quā antecursores pridiē venerant, universas copias postridiē ad fuisse. Ante ortum Solis à loco cui insederant, non movebantur, ortō demum sole, per cohortes suas proficisciabantur. s) Fallor? an in eo Persici exercitus morem imitantur, cui patro more triditum est, orto sole demum procedere, dieque jam illustri. Hanc militarem disciplinam ipse Hieronymus t) tanquam testis auctoritatis illis tribuit. Nuper inquiens, tantō volitarunt, ordine locustarum agmina, velut ex dispositione jubantis Dei, ut instar tessularum, quæ in pavimeneis manu artificis collocatae sunt suum locum tenerent, & ne puncto quidem, ut ita dicam, vel ungve transverso ad alterum declinarent.

S. XI.

Equidem curiosum esset hæc in illis admirari, nisi cettimenta, que regionibus Germaniæ intulerunt, tristitiam parerent. Namque omnibus in locis, quo pervenerunt, omnia vel horulae spatiō devastarunt, adeo, ut prata cordo virescentia brevi arcis similia redderent, dum gramine milium, lupulum, olera atque alia abroserunt, de pastæ sunt, corruperunt. Et cui ignota est insecti hujus voracitas, quam illustris Ludolf u) ita describit: Valde exitiosæ sunt locustæ, quæ non deserta & arenosa loca querunt, sed arboribus consita, & frugibus culta. Ineffabili multitudine omnia consumunt, non herbæ, non frutices, non arbores manent, quicquid herbitum aut frondosum est, arrreditur, tanquam ignetostum esset. Quæ omnia si quis ad nostras locustas applicet, sanè is ne verbū quidem

B

mutare

r) Annal. Boj. l. 4. p. 339. s) Curt. l. 3. c. 3. g. 8. t) in Comment. in Joel c. 2. u) Hist. Ethiop. l. 1. c. 13.

mutare necessum habebit. Idem testatur Thuanus x) cum de locustis anno 1613. in Provincia Galliae enatis quædam dixisset, hæc de vocacitate, earum addit: Quid hæc animalcula possent, intra paucos dies, gramine usque ad radicem erosò, prodiderunt, & quod mirumerat, quando pratum aliquod quindecim millium & amplius jugerum insederant, illud totum septem vel octo horarum spatio de pascebant, quod ter aut quater mille boves vel equi facere vix potuissent; ubi mox subiectit, quod cum omne gramen devorasset in segetes etiam irruerint, quando frumentum in area excuteretur, ab eo devorando arceri non potuerint, sed agmine factò, in frumenti acervos involantes, frustra resistentibus colonis, gramina, aliquando etiam integros manipulos simul asportarint. Quin nuperæ apud nos etiam præternaturali voracitate laborasse visæ sunt. Consumptò enim unius loci pabulò, alium petierunt, & ubi locum, quieti commodum invenisse sibi viderentur, omnia promiscuè invaserunt, adeoque me urbium quidem mœnibus retineri se, quo minus in tecta se dimitterent, passæ sunt, quod Plavia & Jena testantur. Ubi istud notandum, quod locustæ, (sicut ex literis ad Sereniss. Cizensem datis percepimus) cum Plaviæ ædes nullæ ab illarum incuribus liberæ essent, ædem sacram, religione quasi quadam prohibitæ, non attigerint, licet, quod Jenâ scribitur, summas templorum turres volando superaverint. Quod si huic relationi fides adhibenda, vel casu id accidere potuit vel singulari DEI directione, ut in Ægypto accidebat, quod, cum illa undique locustarum & aliis plagis afficeretur, terra Gosen, ipsi admodum vicina libera ab istis omnibus existeret, quare etiam Deus dicebat **הַפְלִוּתִ** id est, miraculò distinguam Exod. 8 v. 18. Nec illud prætermittendum, quod insecta hæc, quando locum aliquem desererent, turpissimum feciorem reliquerint, qui forsitan exinde ortus videtur, quia sterlus nigrum, virideque & in primis acrem salivam, quam inter edendum fundunt, & alias etiam exhalationes foetidas emitunt. Ex impurissima igitur materia, quam super terram exspuunt & excrementis, non potest non odor nasci putridus & intolerabilis. Hujus & alius generis incommoda ex omnibus fere exemplis, quæ singula citare non permittit cartæ angustia, licet cognoscere.

### §. 12.

**Q**uanquâ igitur pernicies earum insignis fuerit, nonnullos tamen eò adegisse fertur, nescio quæ curiositas, ut coquere aliquas cancrorum modò insti-

---

x) Hist. l. 6. pag. 356.

instituerint, ac deprehenderint; quod pusillum carnis siccæ, uti cancri cli-  
xati, exhibuerint. Hoc ipsum Ludolf y) tradit, cum Rabbi quidam Mau-  
ritianus confirmat, in colas ejus terræ locustas in aquam congesse sale con-  
spersas, deinde cum aqua bullivisset, exemisse, & cum pipere, sale & aceto  
comedisse & ex Davidis Schelhammeri Biblioth. Hamb. MS. allegat. z) In  
Gvinea fliehen die Heuschrecken wie eine dicke Wolke / sie werden ge-  
tötet an der Sonnen gedürret und haben Fleisch so weiß als ein Kribbe  
Quamquā verò facile mihi persuadeam, Germanos cibum hunc non appre-  
tituros, istud tamen eruditis constat, locustas priscis temporib⁹ multis gen-  
tibus incibo fuisse, uti non solum Judæis certæ locustarum specie (qvarum  
spiritus Bochartus exponit) a) in eum concessæ fuerunt Lev. II, v. 20.  
seqq. Sed de Johanne etiam Matth. 3. v. 4. dicitur Η τερπητὴ αὐτῷ λιανίς  
καὶ δέσ, quæ verba cum multi in alia detorqueant, potissimum καρκίδας  
cancrorum speciem intelligendas putent, non solum Bochartus totò cap.  
7. c. i. sacram lectionem probat, sed clarissimus etiam Harduinus b) di-  
citur: Desinat igitur ineptice grammaticorum pertinacia, de locustis Dīvī  
Johann s. Sinenses etiam hodiè locustis, quæ ejusdem cum nostratisbus,  
naturæ sunt, vesci, testatur Neuhoff. c) Nos sanè has delicias porco-  
rum saginationi relinquimus, quæ referente Surio, d) anno 1541. Po-  
loniam pervagantes porcis mortuæ cibo fuerunt; quod nuper etiam  
in Variscia factum esse, à Teste fide dignissimo accepimus.

### §. 13.

Fortassis hac ratione citius istæ emedio tolluntur, alii etiam  
modi istas prope illendi adsint. Quanquam nonnulli interficeret  
illas dubitaverint. Ilustris certè Ludolff e) ex Francisci Alvarezii au-  
torum testis itinerario Æthiopico refert, illum vidisse viros mulieresque  
nimia locustarum copiâ attonitos inter illas sedisse: hunc igitur ipsis di-  
xisse, quare non occiditis ista insecta, quæ vobis tot mala pariunt, occisa  
saltē nihil amplius nocerent; sed in colas respondisse, se plane despon-  
disse animum ad resistendum illi plaga à DEO sibi immisæ propter  
peccata sua. Ulti etiam Bochartus f) dicit, in Damire legem citari  
tanquam à Mahumede sanctitam: Locustos non occidetis, quia

B 2

sunt,

x) Comment. ad Hist. l. I. c. 14. p. 128. z) ibid. p. 180. a) Hierozoic  
p. II. l. 4. p. 451. b) Comment. in Plin. l. XI. c 29. c) Descriptio  
Sinae p. 356. d) Comment. Rerum in Orb. gest. e) Com. ad Hist.  
Æthiop. p. 179. f) Hierozoic. p. II. l. 4. p. 482.

sunt exortitus DEF maximi. Sed nobis ad malum hoc avertendum quæcunque obvenerint remedia, adhibenda arbitramur. Sicut enim quibusdam in locis nuperitas explosis bombardis, aquâ feryidâ, campanorum pulsu, thuris suffitu propulsas esse legimus, ita apud veteres, nube locustarum adventante, ignes longè lateq; exstuebantur, præsertim in littore, quando mare transirent. Eo enim conspecto retrò volarent, & quoniam lassis non eadem vis, in mari submersæ sunt. Ad eandem pestem frugum tollendam anno Urbis I<sup>o</sup> LXXXI. C. Sicinius Prætor ad Apulienses agmine ad colligendas eas coacto missus est. g) Ita Neuhoff h) fuscè Sinensium consuetudinem depellendi allatos locustarum exercitus enarrat; Qvia scilicet exercituum ordines illæ servant, ideo & militaria instrumenta ad istas repellendas hastilia, bipennes, vexilla & quæcunque deinde armis vel natura, ad reprimendos hostes instrumenta formaverit, adhibere. In Cyrenaica Regione lex est, teste Plini<sup>o</sup> i) ter eas anno debellandi, primum ova obterendo, deinde foetum, postremo adultas. In Insula Lemno certa mensura est præfinita, quam singuli enecatarum ad magistratus referunt. Et quid multis immoramus exterorum exemplis, cum ante annos nonità multos k) Principes Saxonici adversus talia insecta mandata typis excusa promulgaverint, quibus subditi certò tempore laborem de istis interimendis suscipere tenebantur. Quid? quod ipsa natura varias dedit aves pro hominibus contra locustas militantes. Ex illis sunt graeuli, quos Lemnii, referente Plini<sup>o</sup>; l) ob id colunt. Galeritæ quæ ab iisdem, ut Plutarchus tradit, honorantur, quod ova inquirant & absument. Ipsi Africani bruchum miris characteribus insignitum certo loco contra locustas propellendas locant, vid. Ath. Kircherum m) Hac occasione omittere non possum, quæ in Actis eruditorum me legisse memini, de orientibus superstitioni addictis, quibus habent æneum aquâ repletum e Zimzam fonte apud Arabes sacro, hanc putant virtutē telesmatica afficiendi certum avium genus, quibus nomen Smirmar, quodq; locustas, quibus Syria maxime affligitur, ex stirpare solet, præditum esse. Istam vero aquam nec per portam, nec sub tecto portari patiuntur; donec ad templum quo transfertur, deventum fuerit. Hinc cum anno 1671. d. 15. April. Alepum magna cum pampa & frequentia.

Mu-

g) Liv. l. 24. h) Sinens. Ilin. p. m. 152. i) Hist. Nat. l. II. c. 29. k) Franz. Hist. An. p. V. c. 4. p. 658. l) Hist. Nat. l. II. c. 29. m) in Oedipo Tom. II. part. I.

Mihamedanorum Christianorum atque Judæorum adportaretur vas  
ejusmodi, tunc super portam, quod Damascum itur, ac dein super  
muros arcis sublatum fuit, donec in Moschen arcis modo dictæ inferre-  
tur, in qua illud inter hymnos & preces reposuerunt. Quæ supersticio  
in ipsis etiam Pontificiis deprehenditur, quando aquam, ut vocant, be-  
nictum & exorcismos usurpat in delendis insectis. Et refert n) Ma-  
jolus, quod Aphrates religiosissimus vir, cum in Perside magna locustarum  
vis more flammæ, omnes terræ fructus, segetes, plantas & nemora ac pra-  
era devastaret, rogatus à pio quodam, ut agellum ab hujusmodi clade de-  
fenderet, vas aquæ ferri jussere, manuque illi impositâ, Deum rogârit,  
ut elemento suam gratiam impertiret, absolutisque precibus, manda-  
verit, ut agelli fines aqua illa aspergerentur, quæ pro imperio sparsa se-  
inexpugnabile atque inviolabile illius agelli munimentum præstitit...  
Magnum, nisi ex nimio in superstitionem affectu dictum aut fictum  
fuisse.

§. 14.

Et si quid divinæ providentiæ in earum immissione est, quod nemo sa-  
nus negabit; precibus tanquam optimis in tali casta armis Deo adjuvan-  
te, repellere possunt. Exempli loco sit, quod o) Aldrovandus memorat;  
Nimirum in Mazania ad Sibarim, cum locustarum multitudo totam re-  
gionem operiret, incœlæ supplices ad Theodorum Siccorum contende-  
runt, ut suis precibus tantam calamitatem expelleret. Profectus ille-  
cum ipsis ad S. Evenici templum, ipseque tribus acceptis locustis in ma-  
nu sua, pro populo Dominum obsecrabat; atque interim tres illæ lo-  
custæ in ejus manu mortuæ sunt & gratias agens Deo, dixit ad popu-  
lum: Deus celeriter misericordiam suam nobis offenderet. Igitur in S.  
Evenici templo divinum peregerunt sacrificium, posteroque die in agros  
egredientes locustas omnes mortuas invenerunt. Huic aliud subjungit  
idem Aldrovandus, dum M. Marulus Spalatensis de Severino in Panno-  
niæ finibus Abbatæ, recenset quod cum Cuculli castelli agrum locusta-  
rum agmina devastarent, jussere omnes loci incolas una secum ad Eccle-  
siam pergere cumque simul orassent, omnem illam locustarum tempesta-  
tem inde sublatam fugare fecisse. Ac ne casu aliquo discessisse videren-  
tur, partem eorum non minimam in cujusdam agro resedisse qui cum  
aliis ad orandum non venerat. Tantumq; homini illi obfuit non oras-

B. 3

se,

n) Dieb. Canic. Colloq. 5. p. 180. o) l. c. 169.

se, quam reliquias orasse profuerit. Proinde & nos, dum hodiernæ nondum attigerunt terminum sibi præfixum, sed adhuc vagabundæ suam deyastandi exercent sævitieim, speramus, brevi illas fusis ad Deum precibus, interitus, & vel à vento sublatas in mari aliquo submersum, vel alio, quem sibi reservavit sapientissima Dei providentia, modo extinctum iri.

§. 15.

Quemadmodum verò certa interitus illarum ratio nobis non constat; Ita de illarum ortu, antequam caput hoc claudamus, quæstio instituenda est: An scilicet immediatâ Dei creatione, vel naturali atque ordinaria generatione productæ sint? Evidem hoc loco nodosam illam quæstionem, quæ tot Physicorum ingenia mire torsit, non extricabimus, quæ scilicet locustarum generatio sit; An quod Plinius p) & cum illo Aristoteles q) putat, in terram demissâ spinæ caule, ova condensa autumni tempore pariant, ex coitu scilicet marem portante fœmina, aut, quod, cum locustæ omnes fœminæ Kirchero r) & Aldrovando s) perhibeantur, ipsæ semen habeant & ex se imprægnentur; An, quod idem Kircherus existimat ex variis seminiis suam trahant originem adeoque ex segete corrupta, ex cadaveribus hominum, ex ipso locustarum cadyvere, è foliis arborum &c. aut è terra, luto & limo camporum ac paludum nascantur; aut denique, quæ sententia Autori Philosophiæ Veteris & novæ in Regia Burgundia pertractata t) placet, & à Clarissimo Redi u) multis argumentis probatur, quod scilicet omnes ac singulæ ex seminibus oriuntur, adeoque carum generatio sit uni voca. Hæc, inquam, à nobis jam decidi nemo postulaverit, cui quidem Cl. Goëdarti x) Judicium notum si, quod per annos multos desideraverit scire, undenam locustæ traherent originem &, licet ut investigaret illud non ignavam navarit operam, tamen annorum undecim experientia istud vix addidicerit. Nobis jam sufficiat, quod locustæ nostræ quoconque deummodo generatæ, veræ locustæ &, quantum ex omnibus relationibus constat, ab Oriente per ventum in Hungariam delatæ sint. Quare cur Francii y) sententiaz nostrum adjiciamus calculum, non videmus, quasi, quæ singulariter neccent, singulari etiam Dei potentia crearentur insatiabilis

pastor.

p) Hist. Nat. l. XI. c. 29. q) Hist. Anim. l. 5. c. 23. r) Mund. subt. l. 12. Sect. II. c. 5. s) l. IV. p. 165. t) Edit. Par. 1689. Tom. 6. Phys. Part. III. Diss. 3. c. 1. p. 373. u) Tract. de Insect. génératione. x) Tract. de Insect. p. 301. y) Hist. Anim. Part. V. c. 4. p. 557.

pastu. Longè probabilius est, Deum creaturis naturalibus præternaturam quid addere, quam existentibus mediis, immediate producere. Non obstante Dictō, Amos 7. v. 1. חַנְחָה יוֹצֵר אֲבִי ecce formans locustas, nec Muhammadanorum Theologastrorum sententiā, 2) quod Deus ex luto de creatione Adami superfluo eas fixerit. Quia hæc absurdā est, illud vero nihil ulterius probat, quam quod locustæ à divina providentia præter solitum fœcundæ factæ fuerint. Jam nemo ignorat, orientales & Australes regiones Africam, Æthiopiam, Indiam aliasque locustarum esse feracissimas, adçò, ut gress illarum, quandoque se per duodecim milia extenderat a). Hinc nuperas ex Asia in Hungariam pervenisse plurimi existimant, ex qua tandem in Austriam ductæ partim prope Vienam partim versus Danubium certa occuparunt loca. Inde Bohemiam, Silesiam Superiorē, Variscum, Thuringiam pervagatae non campos modò sed urbium etiam plateas & ædes, ut Plaviæ & Jenæ, operuerunt. Et parum abest, quin, dum ipsam Jenam invaderent ad nostrum usque Misniam, quod Deus tamen, ut hactenus, ita & in posterum avertat, penetraverint.

### §. 16.

Hac in parte si consulamus Historicos, perlustratis passim exemplis, deprehendemus, in omnibus ferè ac singulis hoc observatum esse, quod ab Oriente & Austro versus occidentem se converterint. Quemadmodum jam Mosis tempore DEus ventum בְּרַא excitabat, qui locustas ex Abyssinia ut volunt, in terram transjiciebat Ægyptiacam, ubi ventus in Sacro codice nominatus tum de Australi, tum de Orientali sumitur, uti docet Bochartus b), non quia partim Australis, partim Orientalis seu Euro-Notus fuerit, sed quia Orientalis ventus ad Australēm, ob calidiorem naturam referatur. Hoc animadvertisit quoque c) Georgius Agricola circa annum 1548. Abhinc, scribens, sex annos locustæ gregatim involarunt in Pannonias & Dacias, in veterem Regionem Marco-mannorum Lygiorumque, ut quondam etiam saepè ex Africa in alias Europæ oras. Similiter Aventinus d) refert ad annum Chr. 874. ingentem locustarum numerum ab Oriente externa pabula quæsitorum Solem occiduum magno peniarum stridore pervolasse. Vel ut illustrius exem-

plum

2) Bochart. part. II. l. IV. p. 486. a) Aloys. Cadamost. Navig. c. 13. de desertis prope Nigritas. b) Hieroz. p. II. l. i. c. 15. p. 102. c) conf. Voss. de Orig. & Progr. Idols. l. IV. p. 1626. d) Annal Bojor. lib. IV. p. 309.

splum Surius e) recenset, dum anno 1542. non exigua locustarum cohors ab Oriente per Illyriam in Italiam venit, eamque pariter ac in Germania Silesiam & Misniam multâ clade affecit.

§. 17.

Cur verò, reliquis Orientalibus, nostras præcipue regiones petierint, variæ dari possunt causæ. Sive enim magna alimenti inopia, easdem pressit in patria sede, ut ad vitam conservandam alibi victum quærere, necesse habuerint, uti Plinius f) de ipsis tradit, longinqua maria ab iisdem transjici, continuatâ plurium dierum fatigè, propter quam externa pabula petere coguntur. Sive casu evenit, ut venti vehementia sublatæ ad plagam inter occidentalem & septentrionalem medium (West-Nord) agitatæ fuerint. Prima ratio vel exinde aperte satis conspicitur, quod earum adventus circa medium & exitum Augusti contigerit. Jam verò juxta multorum Physicorum, g) sententiam ad canis ortum nascuntur locustæ, & interprete quidem Harduino h) circa XV. Calendas Augusti. A quorum partibus etiam Strabo ipse stare videtur, hanc suppeditans rationem, quod ex diuturna siccitate stagna exsiccantur, illòque lutō locustæ pro latitudine stagnorum generentur, præsertim imbris nunquam ea humectantibus. Quod tūm sieri intelligendum, cūm illi luto vis aliqua πλαγη ejusmodi infecti inest, vel potius, quod Cl. Redi i) placet, si in illis locis ova antea generata sint, iuxta illud, quod ex Doctore Zacharia Ben Mohammed, Ibn Mahmud sub nomine Alcazuini citato, adfert: Locustas solum quærere pingue & humidum, cui incumbentes, caudis scrobiculos excavant in quibus singulæ centum ova deponantur. Quæ si ita se habent, facilis est ratio, quomodo illæ è terra generentur. Quod singulari exemplo probat Kitcherus k) dicens: A. 1556. Romanos agros ingenti damno infestavit locustarum pestis, quæ ex siccitate præcedentis anni originem traxerat. In agris passim nidi pleni hujus animalis foetura reperiebantur: Primo, ut microscopio mihi innotuit spectabantur ova, deinde vermiculias sibi fabricantes, qui soli expositi intra exiguum tempus, quo quis coronam divæ virginis recitaret, in locustas conformabantur. Quod utinam non eorum quoque agris im posterum accidat, quas hactenus locustarum hæc pestis vexavit. Dicunt enim te-

stes

e) Comm. Rer. in orbe gestar. adhunc Annum. f) Hist. Nat. l. II. c. 29. g)  
vid. Plin. l. c. h) Comment. ad Plin. l. II. 29. i) Tract. ē Insed.  
gener. p. 203. k) Mundo Subterr. p. 363.

stes à vnguis; infesta hæc, quamprimum insederint, coire, & perpetuam concubitu agere, unde agri eorum ovulis repleti non erosam in posterum prolem educere possunt. Ante omnia vero singularis Dei concursus nequaquam h̄ic excludendus est, ad cujus nutum naturali modo procreatae & in immensum auctæ divinam exercent vindictam, uti illigat ulterius docebit.

## CAP. II.

# PROGNOSTICON.

### §. I.

**E**Quidem si Physicorum sententias hac in parte sequi deberemus, dubium non est, quin multæ afferri possint rationes, quibus locustarum adventum planè naturalem esse, nihilque portendere probarecur. Non negamus enim, quibusdam in locis, ubi locustæ magnò numerò procreantur, si ex una citione in aliam isti vicinam vehantur, nihil portentosū habere, v. g. in Arabia, & Africa. a) Sic Scaliger Cardano objicit, quod, si bellum semper locustæ portendere debeant, à Mauritius Siciliæ singulis annis bellum annunciatum esse, cum locustæ quotannis inde advolet. Qua de causa etiam Illustris Ludolf b) locustas epidemiam Australium regionum plagam appellat. Illud vero, quoniam apud nos rarum quid est, nemo inficias ibit, singularem Dei providentiam circa directionem horum insectorum concurrere. Linde & c) p̄d. m̄g. h. e. vates vocatur locusta, quod ab ejus adventu homines futura sollicitè augurari soleant. Imò in Syria Regione licet magis ad orientem sita, nimium locustarum adventum ominosum putari Thuanus d) testatur; Laborabat, inquiens ao. 1586. omnis generis pabulorum & annone inopia Syria, & locustarum nusquam hominum memoriam tantam visam multitudinem, quod prodigiū loco in ea provincia acceptum est.

### §. 2.

Nostrates etiam uno quasi ore affirmant, θεον e) sive divinum quid existimantes, si admirabiles & inopinati casus occurruunt, qui nisi certa Numinis provisione fierent, non in unum aliquod confluere ac velut conspirate tam accurate poterunt, sed ad præmonendos tristissimarum rerum casus publicè spectandos Deus proponit. Locustarum

C

certe

a) Aldrov. de Ins. l. IV. p. 168. b) Comment. Hist. Ethiop. p. 168. c) Aldrov. l. c. d) Hist. l. 48. e) vid. Danh. Part. u. Theol. Symbol. dial. IV.

certè multitudinem sicut à Deo esse rectè judicat Maxime Reverendus  
Dn. D. Alberti f) Ita cum Basilio M. g) unicuique acclamamus: Quo  
pacto tibi militias exercitusque locustarum terribiles enarravero, quæ  
velut agmine facto castris toto agro latè positis non anteà fructus de-  
pascuntur, quām ipsis sit à Deo concessum atque mandatum. Ratio-  
nem suppeditat Augustinus h) quod propter superbiam Deus instituat  
istam creaturam minimam & abjectissimam, ut ipsa nos torqueat. Et  
Lycosthenes i) nunquam sine mali præfigio iræque divinæ indicio hæc  
talia accidere putat. Quomodo ille locustarum nubem inter pro-  
digia reapse referat vide in Supplementis à Polysthene Julio Obsequenti  
de Prodigis adjectis. Edit. Scheff. de A. 1679. num. 44. & 67. Sed dicas,  
noxa, quam ipsæ pariunt potest quidem, ut poena ab ipsis insectis exse-  
quenda, agnisci, sed in eo, quod portendant futura mala, nulla videtur  
esse naturalis connexio. Non enim sequitur adfuit locusta; ergò ad-  
erit bellum vel famæ; Ad hæc respondemus, quod omnino aliqua de-  
tur connexio certis in rebus, ut ex infra dicendis patebit. Et ambabus  
largimur manibus, quod non semper insecta se habeant instar Causæ Ef-  
ficientis ad Effectum subsequentis infortunii; attamen ut signum & si-  
gnatum, vel, ut Antecedens & Consequens; quippe fundamentum rela-  
tionis inter signum & signatum non est virtus Causæ productiva sed  
ostensiva rei significata. Sicut autem omnes res naturales propor-  
tiæ habent naturalem aliquid significandi ex arbitrio divino; Ita et  
maximè, quibus supervenit specialis significandi impositio. Jam verò  
Deus imposuit quasi locustis iræ suæ significationem, dum, quoties in-  
Scriptura mentio earum injicitur, toties per illas impiis poenam mina-  
tur gravissimam. Siquidem DEus aliquid significaturus iis solet rebus  
uti, quæ ex natura sua quodammodo aptæ sunt ad significandum illud.  
Quid quæso exercitus militum commodiis exprimit, locustarum agmi-  
ne? Quid annonam certius indicat, locustarum voracitate? Quid pe-  
stem citius excitat, locustarum fœtore? Unde Vossius k) rectè conclu-  
dit: Hujus rei, inquiens, si quod sit fundamentum, equidem non aliud  
video, nisi quod adventus earum testetur, iram divini Numinis, inque  
hujus poenis famæ, pestilentia ac bellum esse solent. Id quod vel ipsi  
gen-

f) Disp. de Infort. à se avertendo Sect. 1. §. 7. g) Hexaem. dies sext.

h) Trait. I. in Job. Tom. 9. pag. mihi. i) de prodigiis pag. 579.

k) Inaug. disputatione de locustarum origine (1679).

gentiles agnoverunt quando Plinius. l) locustas Deorum pestem vocat. Et in ipsa quoque Africa, licet earum feracissima, prodigi loco habeti præter Orosium aliosque Augustinus m) testatur: Locustarum, inquiens, multitudo in Africa prodigi similis est &c. Quare certum locustarum festum, n) ut iratum Numen sibi reconciliarent, celebrarunt 8. Cal. Decemb. cuius mentio fit apud Cœlium Rhodiginum.

§. 3.

Quemadmodum verò earum sententiam minimè probamus, quā planè à præsagiis locustarum adventum eximunt; Ita in oppositam vulgi superstitionem ne incidamus, sedulò cavendum, quod sic colligere solet, inde bellum imminere, unde adveniunt. Determinare, enim non in nostra, sed divina manu est. Inter has igitur duas opiniones, tanquam inter Scyllam & Charybdim mediâ viâ incidentes tutissimi ibimus, imitaturi Politicos, qui non exiguum prudentiæ civilis momentum in eo positum existimant, si quis de futuri casibus ex rerum gestarum historia, præterita cum præsentibus comparando paria velit fata præsagire: Pariter & nos, cum jam olim advenerint hæc insecta, ex veteribus, exemplis eorumque eventibus, analogam conjecturam, quoad per judicii tenuitatem licebit, facere conabimur.

§. 4.

Hæc unde sumenda merito prius quæritur? An in verbis quæ forte earum alis in scripta fuerint quærenda ratio? Sed infirmum nimis atque fallax hoc, fundamentum nobis quidem videtur. Super §. 6. ex Athanasii Kircheri Mondo Subterraneo multos lapides variis characteribus insigniri à naturâ adduximus. Et Jacobus Gaffarellus in curiositatibus in auditis multa ac mira naturæ varios characteres efformantis exempla eruditis lectoribus exhibet. Quippe o) terram rubicundam in Gallia effossam memorat, in qua quamplures aves, mures, arbores, serpentes, ac literæ adeo distincte pictæ, ut à pueris distingvi possint, appareant. Quin etiam in animalibus rationalibus & irrationalibus tales figuræ comprehendit, p) In piscibus notari characteres, numeros & armorum imagines, in cornibus quoque cervorum literas, aliasque notas mira arte efformari: & in homine demique ipso non solum ejusmodi signa, sed animalium etiam fructuumque varias picturas exprimi. Nec in superficie

C 2

hujus

l) Hist. Nat. l. II. c. 29. m) à Civitate Dei l. 3. c. 31. n) vid. Franz. Hist. Anal. part. V. cap. 4. o) cap. V. §. 2. p. 79. p) h. §. 2. p. 100. sq.

In ius terræ contineri passa inaudita ejus viri curiositas ad nubes etiam  
& in ipsa astra ascendit, nubium, aeris, q) & astrorum r) lecturam do-  
cet. Confirmat ejus sententiam præcipue in piscibus characteribus no-  
tatis CL. M. Gregorius Michael s) pisces monstrosos, mirifice figuratos,  
plus satis prodigiosos, imo prodigiorum exemplaria illi dictos afferens.  
Qualis fuit qui 1623. 8. Sept. in vistula captus est, longitudine 36. pedes  
latitudine tres ulnas, altitudine decem comprehendens, in cuius dorso  
cruces, stellæ, tormenta, hastæ, bipennes, vexilla, cujusmodi uni lateri. A.  
D. I. H. alteri. F. R. F. inscriptæ legebantur literæ, quarum interpreta-  
tionem laudatus Autor lectori relinquunt. Verum sicuti ipse Gaffarellus  
Anania in Jeraucurium, & Raphaelem Eglinum ridet, quod ex duobus ha-  
leibus in Dania & Noryvegia captis d. 24. Dec. 1557. quorum uni vox  
VICI multæque aliæ literæ in scriptæ erant, t) Johannis Apocalyp-  
sin & Danielis vaticinia explicare, & nescio quæ plura vaticinari volue-  
rint. Ita & nos è Characteribus; si quis Orientalium linguarum periti  
in genii lusus tales inde exsculpere queat, multa Germaniæ nostræ prodi-  
gia fingere nolumus: Verius exinde aliquid concludi posse credimus,  
quod locustæ, u) Dei iræ, nihil nobis nisi divinam vindictam portende-  
re queant. Quod certe saepius mortales experti sunt.

### §. 5.

Quod enim statum Ecclesiasticum attinet locustæ saepius heresies re-  
ligionisque mutationes præfigire visæ sunt. Postquam enim x) mul-  
tas in Oriente Regiones perniciossimæ earum vagationes devastaverant,  
sequentí tempore Muhammedanismus oritur, indicio haud obscuro, hunc  
quietem publicam turbaturum, omnemque doctrinam Christianam vi &  
fraudibus eversurum. Ali quanto clarius hoc significat locustæ Anno  
1541. y) qui eum sequuntur est, quo Jesuitæ Parente Lojola prognati  
sunt, & sequentibus in præcipuis Europæ Provinciis conspectæ, quæ ini-  
tio quidem alis destitutæ, postea vero quatuor instruetæ tanta copia con-  
volarunt, ut solis etiam lucem adumbrarent. Paulo post z) à Pontifice  
Paulo III. ordo Jesuitarum confirmatus insignia incrementa cepit. Et

pro-

q) Part. 4. cap. 12. r) l. c. cap. 13. s) Not. ad curios. inaudit. num. V.  
p. 19. t) In der neuen Meerwunderischen Propheceyung auf  
Daniel und Offenb. Johann. Zürch. 1598. u) Plin. H.N. I. II. c. 29.  
z) Loffi Tuba Prophet. in Amos 7. y) Hospinian. z) Hist. Eccl.  
Goth. Sec. XVI. num. 12. p. 751.

profetto uti illi Apoc. 9. per Locustas è fumo oriundas indicati creduntur, ita non male cum his comparari queunt. Tentavit illud haud infeliciter D. Johannes Wolffius. a) Nam, inquit, ab initio nullas queq; habuere alas, hoc est, in nulla existimatione fuerunt, mox tamen eas nocti sunt, id est, cum in autoritate aliqua haberri cœpissent, mirum in modum creverunt, & longè lateque dispersi sunt per totam Europam florentissimis pascuis, Ecclesiæ Dei maximum inferentes damnum. Quemadmodum vero illæ locustæ brevi extinctæ & suavissimis cibus porcis factæ sunt, ita sperarim ego novorum Prophetarum istorum interitum praeforibus esse. Quanquam an præsens locustarum adventus, cum hæ similes dicantur esse iis, quæ Jesuitarum confirmationem antecesserunt, præsente ex Heunischii sententia termino eorum fatali, interitum illis, quod quidam volunt, portendentes, voto quidem nostro magis quam Jesuitarum statui florentissimo respondere videtur.

### §. 6.

Præter bella Domini bella simul Politica indicare locustas b) vulgo existimatur. Quanquam vero Scaliger, quem citat Aldrov. dixerit, ridiculum esse, quod Cardanus putet, locustarum adventum omen esse futuri belli, huic opinioni tamen fidem haud denegasse videntur alii, quos inter Cranzius, Sigonius & Cardanus. Et Lutherus Comment. in Joel. cap. 1. & 2. Nec exempla desunt idem confirmantia. Sic Locustæ c) A. 1543. quæ ab Oriente per Illyriam stupendis agminibus in Italiam convolarunt, Turcarum adventum prædicere visæ sunt, neque id prorsus temere. Nam & Turca d) Regium occupavit. Et Romæ trepidatum est. Similiter e) militum tanquam locustarum bellicarum Prodromi fuisse dicuntur circa annum 1544. magni locustarum exercitus, quæ crucis instar cucularum (Münchhausen) ornatae passim visæ sunt, & præcipue ditionibus Tridentinis Saxonici & Franconici incredibile intulerunt damnum. Et statim subsecutum est bellum Germanorum Principum, quo istæ Provinciæ mirum in modum affligebantur. f) Cromerius refert quod Anno 1344 magna vis locustarum ex Hungaria coorta, & mox ingentes Tartarorum copiæ Russiam & Polonię inundaverint.

C 3

verint.

a) Lect. Mem. p. 478. b) Voss. Orig. & Progr. Id. l. IV. p. 1632. c) Surius ad hunc Annum Comment. rerum in orbe gestar. d) Cluveri Geograph. p. m. 271. e) Dieter. Sap. l. 2. Com. 4. super cap. 16. pag. 859. f) libr. 12. de rebus Polonorum p. 209.

verint. Et Aldrov. g) ex, alio quem non nominat, citat, quod ejus tempore ex Thracia immensa locustarum nubes in Poloniam, Ungariam & Germaniae ultra limites advolaverit, quae non fruges tantum, & quicquid in pratis virebat, praeter vites depaverit, ob idque crudelia (ut quidam divinaverint) futuri Turcarum exercitus prodigia & portenta. Nec eos fefellerit presagium. Nam altero anno statim Viennae obsessionem, Ungariae devastationem secutam esse A. 1529. Hinc Deus Niniyitis horrendam hostium invasionem vivis quasi coloribus depicturus, Nahum. 3. v. 15. dicit, quod illorum gladio velut locustarum exercitu consumendi sint. Et sane si Prophetia Joëlis cap. 1. & 2. non secundum literam sumenda sit, ut quidem Bochartus contendit, sed Chaldaeorum irruptionem denotet, quod cum nonnullis Rabinis alii etiam interpretes volunt, non videmus illustrius quoddam hostium symbolum & prodigium esse posse, quam locustas.

§. 7.

Hujus quidem generis prodigia in locustis dubiae sunt fidei incertae consequentiae; ast firmiori mituntur fundamenta, quando innunt annonam. Et licet ipsae sint famis patientissimæ, adeò, ut vel ultra octo dies vitam, sine dato cibo, quasdam sustentasse, his ipsis viderim oculis; attamen, in fruges incidentes, voracitate preternaturam insigni, omnia depascuntur, ut fames inde facile queat oriri. Præsertim, si, paratis iam messibus, aut agris, aut hortis, aut pomariis incubant locustarum myriades & totius anni labore paucis horis absument. Quæ tamen devastatio non fieret, nisi Deus hunc exercitum velut falcam mitteret in messem, ut variis generis alimenta conservandæ vitae necessaria, hominibus præriperebat. Hoc ipsum eleganter describit Vir magni inter eruditos nominis Athanasius Kircherus. h) Locustæ, inquiens in infinitam multitudinem paulatim excrescentes & segetes spicis, arbores fructibus, olera verò foliis funesta depopulatione privant, campos devstant, famis infallibilis sunt præcursoris. Comprobant etiam abundè historiæ. Aventinus i) enim ad Anno 874. annoiat; diram famem per universam Germaniam Italianaq; supra modum sævisse; plures inediâ extinctos fuisse: primâ æstate grandiores solito locustas pollicem Viri implentes dirâ messes contexisse nube, multa contactu adarentes, omnia mor-

su

g) l. IV. de Ins. pag. 168. h) in Tract. de Peste pag. 44. i) Annal. l. IV.  
pag. 339.

su eroderites, cortices quoq; arborum atq; fores tectorum, centum qvinq;  
qvaginta jugera uno die depestas fuisse. In Palmarii Chronicō legimus,  
qvod à 593. magnam æstatis siccitatem qvinq; locustarum agmina fuerint  
subsecuta, qvæ, qvicquid viride abrodentes causa fuerunt annonaꝝ per-  
biennium durantis. Sledanus k) nobis fidem facit Anno 1542. locu-  
storum infinitam turbam Germaniam & Italiam volando pervasisse, &  
cum inusitata magnitudine essent, omnia consumendo famem excitasse.  
Plura exempla qvidesiderat', is adeat Theatrum Europæum v. g. Tom. V.  
l) Tom. VII. m) Tom. XI. n) &c. Hæc ipsa poena est quam Moses  
o) populo Dei, si à viis Domini declinaverint, minatur: multum quidem  
feminis agro commendabis, sed paru. inde recipies, quia locusta istud  
consumtura est. Quia Deus illis quasi in prædam dederat. p) Unde patet,  
cur Locusta famis quoddam Hieroglyphicum sit, ut q) Aldrov. ex Pierio  
icit, propterea, quod magnam satis inferat calamitatem, quare & divina  
trix apud Theocritum dicitur, cum enim apparuerit, famis prænuncia est.

### §. 8.

Nec minus fallax in locustis habetur præsigium imminentis pesti-  
lentiæ. Qvod si enim famis pedissequa pestis est, famæ autem à locusta-  
rum vora citate & urentibus morsibus efficitur, facilis est connexio, qvod  
non exigua pestis causa in locustis ponenda sit. Habemus nobiscum  
sentientem ingeniosissimum r) Kircherum dicentem: Qvacunq; ex causa  
oriatur demum annonaꝝ defectus; dum famis urgente rabie, qvodlibet  
quod sors suggererit, innutritum, uti sunt canes feles, asinina & e-  
quina caro, herbarum radices pernicioſæ, panis ex glandibus, furfuri-  
bus, confectus adsumitur; mirum non est ex depravatis alimentis in ho-  
minum corporibus humores paullatim ad pestis genesis disponi. Quis  
sub est adhuc alia ratio, s) cum scil. ex putridis extictarum locustarum  
exhalationibus, stercore, saliva aliisque effluviis, ac intolerabili foetore,  
aer inficitur, facile inde perniciosissima iues oriri potest. Quod ipsum  
laudatus jam autor non tantum domestico exemplo in mund. subterr. t)  
confirmat, qnōd scilicet, cum A. 1656. Romanos agros ingenti damno  
locustarum exercitus infestasset, anno sequenti pestis magna hominum-

strage

---

k) Comment. de Statu Relig. & Reip. l. 14. p. m. 410. l) p. 819. m) p. 316.  
n) p. 559. o) Deut. 28, 38. p) Psal. 78, v. 47. q) l. IV. de Inf. p.  
172. r) Scrutin. Pest. pag. 44. s) l. c. pag. 20. § 46. t) l. XII.  
s. s. pag. 363.

strage subsequuta sit: Sed etiam in Chronologia pestium ad A. Urb. condit. 628. refert ex aliis tragicum pestis afflictorum Carthaginensium exemplum. Namque M. Plauto Hypsæo & M. Falvio Flacco Coss. Africam inaudita fere omnibus seculis pestis invasit: Cum enim per totam Africam immensa locustarum examina confluxissent, magnamque frugum stragem edidissent, vento abrepæ repentino, atque in globos coactæ portataeque diu per aerem, Africano tandem in Pelago submersæ sunt: Hæ vero denuo ad littora appulsæ, deterrium atque prossus abominabilem fœtorem tabida & putrefacta sua congerie causarunt; Unde omnium pariter animalium consecuta pestilentia est. In sola Numidia octingenta hominum millia; circa Oram vero maritimam Garthagini vicinam plusquam 20000. millia perierunt. Uticæ triginta millia milium extinguita dicuntur, ac quotidie per unam portam ex junioribus plusquam 1,00. mortui elati sunt. Ut adeò alicui videri possit locustas mortalibus non minus lenta venena parare quam foemina, cui Locustæ nomen venorum artifex & veneficii damnata Britannico apud Tacit. u)

### §. 9.

Quod si igitur tristissimam temporum nostrorum faciem intuemut; nostramque simul culpam, qua, neglecto virtutum & pietatis studio, varia adhuc indies perpetrantur crima, sanctissima divini Numinis majestas violatur, justissima ejus ira magis magisque incitatus, accuratâ lanæ rationis trutina expendamus; Conjectura nullius vanitatis arguenda, sed veritati maxime conformis erit, si quis dixerit varia eaque maxima nostris ditionibus imminere pericula.

### §. 10.

Consideremus hodiernum rerum nostrorum statum, vel ultrò patet, non opus esse multis locustarum prodigiis, cum jam prodigiorum species haec tenus recensitæ, in nobis videantur imploræ, ita ut eæ saltem graviores afflictionum gradus nobis impenitentibus minentur. Haud parum enim turbata fuit & adhuc turbatur variis in locis Christi Ecclesia. Quid dicam de bellis ab Oriente & occidente Germaniam nostram vexantibus, licet enim hostes crudelissimi, nostros, quod illis nurquam DEUS permittat, nondum attigerint fines, in nostri tamen imperii confiniis urbes & agros igne ferroque vastant & evertunt; Quis tandem finis futurus sit nos latet, nec ex dubia fortunæ alea constat.

super-

---

u) Annal. XIII, 15.

superstitiosum enim esset, ex tractu, quem locustæ ab oriente in volando  
observarunt, hostium etiam adventum inde judicare atque prædicere.  
Porro si à locustis prodigum annonæ sumendum sit, & hæc sane jamjam  
sumpsit initium & quotidiè ingravescit. Mirandum enim est, quod  
in proventu fructuum non contemnendo se ekerat querula rerum  
penuria. Nonne manifestissimum irati Dei indicium? Quod simul  
testari videntur varia morborum, qui passim reptant, genera, & omnino  
verendum, ne fœtor locustarum pestilentissimus majora excitet valetu-  
dinis incommoda. Certò enim certius est, quod locustæ nobis minen-  
tur fata minus faventia, quid verò præcisè mali portendant incertum.  
Determinatâ enim significandi facultate cum careant, ipsis determinatum  
tribuere valorem, aut certam in ferendi vim non possumus.

### S. II.

Modò verba in nobis non reddantur vera, quæ Josephus Judæorum  
Polemographus de suis civibus habet: Certa, inquiens, prodigia futu-  
ram solitudinem prænunciantia non attendebant animo, neq; credebant,  
sed veluti attoniti & non oculos habentes aut animos, edicta DEI dissim-  
mulavere; hi quidem hujusmodi signa pro libidine interpretati sunt;  
illi contempsero, donec patriæ excidio eorum iniquitas confutata est. Id  
quod ne nostræ contingat Germaniæ, sed DEUS Ter optimus Terque  
Maximus omnia, quæ super nos decrevit, mala clementer avertat, diram  
famis plagam benignissimo fructuum proventu commutet, arma fœdera-  
torum Principum exoptatissimis victoriis & pace quam omnes sollicite  
exspectamus constantissimâ coronet, virentem Saxoniam Rutam ab omni-  
bus virulentorum morborum hostiumque invasionibus præmuniat, imò  
universam Germaniam pristino flori restituat, restitutamque perpetuò  
conservet devoto precamur.

### Nota ad Cap. I. §. 6.

Characteres locustarum alis à natura inscribi nemo dubitat, qùd  
illustre exemplum, quod in Miscellaneis Curiosis Academiæ Leopoldinæ  
decuria secunda An 1690. p. 200. exhibetur, viderit; Ibi enim alis locusta-  
rum A. 1690. circa regionem Segedin visarum hæc verba hebræa inscri-  
pta erant: פָּאצֹר צַעַה וְקִשֵּׁן יְזִיקָה cum וּ, & וּ quod collectores sic  
vertunt: Thesaurizare faciens exulanten & induratos effundet.

D

Corolla-

# *Corollaria.*

I.

*Angides Johannis veræ locustæ fuerunt.*

2.

*Illustris Ludolfi sententia, quod per  
Num. XI, 31. locustæ intelligentur admodum videtur proba-  
bilis.*

3.

*Locustæ nobis à locis uisitatis potius quam  
à loquendo dictæ videntur.*

4.

*Falsum est istud Arnobii, \* quod Lo-  
custæ & ejusmodi alia insecta à Deo  
non sint condita.*

---

\* *Libr. 2. adu. gentes. p. 75. Edit. Lugd.*

*Si te*

**S**i te fortè latent, Lector, portenta locustum,  
Docta tuâ saltem contere scripta manu,  
Qvæ consignavit nuper fervente calore,  
Dedicat & patriæ Sympatriota meus.  
Ergò Deus faveat cœptis ausisq; decoris,  
Qvod mea Musa tibi, svavis Amice, vovet,

*Hec pauca, singulari amicitia erga Dn. Conterra-  
neum suum ductus, adjecit*

*Christianus Fridericus Crucianus,  
Lucca-Lus. J. II. Stud.*

**M**ann ein Baum zur Frühlings-Zeit in der schönsten  
Blüthe stehet  
Das ein süsser Feld-Geruch von dem bunten Schmucke gehet  
Ach so ist ein gutes Zeichen/ das von dieser Liberay/  
Die den grünen Stam̄ bekleidet/ reisse Frucht zu hof-  
fen sey.  
Nun hat dieser junge Zweig/welchen Luckau hat gesetzet/  
Und den unser Pleiß-Achen ist mit Nectar-Thau benetzet/  
Bald im Anfang seines Lenzens wie ein Lorber-Baum  
geblüht/  
Und sich nach der Tugend-Stussen durch des Fleisses  
Trieb bemüht.  
Massen er sich schon mit Ruhm/ ob er noch bei unsern Linden  
(Die von ihren Blättern ihm billich Ehren-Kränze winden)  
Einen Platz hat eingenommen/ wie ein Eder-Baum  
erzeigt;  
Der mit seinen hohen Gipfel nach des Himmels Ach-  
sen steigt.  
Drumb will er die erste Frucht durch dis Opffer überzeichen/  
Das er dir/du Vater-Stadt als ein rares Tugend-Zeichen/  
Zur

Zur bewehrten Probe schicket/ nun es gern und willig  
an  
Von dem Hoffnungs-vollen Baume/ der den Riß er-  
setzen kan/

Mann in deiner Republic ein betagter Stamm vergehst.  
Dann/ wenn ein gepfropftes Reiß schon in guten Wach-  
thum stehet

Ach so kan mans leicht verwinden/ ob du einen alten Ast/  
Boreas/ gleich hingerissen und in Grün zerstücket hast.

Mit diesen wolten seinen Herrn Landsmanne und  
werthgeschätzten Freunde gebührend  
gratuliren

1717-192  
Johann Heinrich Exs.  
LL. Stud.



parte non alia, memores Bombyce di cubi, magis datur. Hinc tem serpere B. L. conten diligentiam ar modum ab a potuisset pra mus, ut 1. H seamus, 2. qu mus. Faxis

**S**ub finem in Hung nigræ so ram ver densitas imò cubitum ex tuor alas, in qui visæ. Variabantur paucos post die Superiorum, Va non solum can & ædes obtexer horulæ spatium asque fruges per insatiabili fame quidem, quibus lia & frondes dum quasiverun



nostro æqua-  
sifert. Epist. de  
t natura, si ali-  
s id deprehen-  
sui infirmita-  
igitur limine à  
si eâ curâ atq;  
eat, quemad-  
gis exercitatis  
tracta turi su-  
ventus recen-  
viter explice-

itudo ab Oriente  
st, ut instar nubis  
limeret. Inter-  
cubuerunt, ut  
tus quadrantem,  
nis oblonga, qua-  
miles quibusdam  
ualitate. Abhinc  
miam, Silesiam  
as permigrarunt,  
tes, totas plateas  
derint, vel per-  
era, cordum, ali-  
aturali & prorsus  
am ne arboribus  
earum ramis, fo-  
loci pabulō, ali-

Quam-